

Wiener Stadt- und
Landesbibliothek

10542

2Ex
EK
A

MA 9 - SD 25 - 25 - 894 - 115518 - 38



Wiener Stadt- und
Landesbibliothek

25r

10542 A

MA 9 - SD 25 - 25 - 894 - 115518 - 38



B. N. 1.

DE RE TVRCICA

AD VVIENNAM AVSTRIAE HEN-

rici Ribischiij, Iurisconsulti, Serenissimi Ferdi-

nandi Hungariæ & Bohemiæ regis &c.

per Silesiam Quæstoris ærarij, Epi-

stola historialis ad clariss. uir-

um Henricum Stromerum

Auerbachensem, Medici

narum Doctorem

& Consularem

Lipsensem.

LECTORI.

Quicumq; ista legis plenis ad sydera uotis

Exclama, & tales ore reuolue preces

Christe tuos hostes dextra confunde, uolentes

Pellere te regno, sanctaq; uerba tuo,

Lipsiæ excudebat Nicolaus Faber.


M. D. XXX.

A 10.542

2. Ex.



IN 335.423



Bibliothek
Walter Sturminger

HENRICVS RIBISCHIVS IVRIS.

consultus, Henrico Stromero Auer

bachio Medico & Consulari

Lipsensi.

Salutem in domino Iesu. Accepi literas tuas, Vir clarissime, amicitissimeq; XVIII Nouembris, quib, prout erit necessum, respondebo. Pecuniam Lucae pictori, ueterum certè magistris anteferendo, pro deliniata & manu sua ducta imagine, à te numeratam reddet tibi Casparus Vuerner ciuis uester. Ago autem tibi summas gratias de credito argento. Dabis item operam ut tabula mihi una cum libris meis q̄ primum transmittatur. Et humanissimum uirum Andream Camitzianum Doctorem &c. admonebis officij sui.

Nouas res Austriacas & gesta Turcica ad Vuiennam ex me scire cupis. Iam Deum testor mihi nec ocium, nec tempus supersesse, ut uniuersa acta & patrata, prout hisce uidi oculis, & his aurib. hausit, possim perscribere, nec tantum mihi est Eloquentiae, ut tam immanem crudelitatem uerbis adsequar. Non mihi si linguae centū sint, oraq; centum. nosti uersus. Ad hoc puto haec apud uos ferè gratiam nouitatis exuisse. Attamen, quandoquidem hoc à me contendis, bona fide, ut historicum decet, ipsam rem tibi breuiter aperiam.

Solymanus, xij Turcarum imperator, xxij. Septemb. Vuienna, ad locum castris capiendum, obequitauit, atq; hanc, XXVII. & XXVIII. eiusdem mensis obsidione & exercitu innumero cinxit, eamq; XVI Octobris soluit, & festinabundus abiens, reliquit. Habebis mihi certā fidem, Domine beneuolentiss. me tam multum calamitatis, arumarum, angustiae, doloris & seuiçiae, non putasse in hac mundi officina delitescere, ut uidi in hoc nuper profuso Christi

ano sanguine, nec prius in animum induxi meum, ne tantis malis unquam superuicturum. Vigessimumquintum itaque diem obsedit Vuisennam, fœdis. Turca immoto exercitu, quem in longitudinem ad duas leugas, in latitudinem uero ad unam produxit, cepitque initium obsidionis ab Ebersdorffo, octo ferme stadia à Vuienna ad Danubium posito, ubi ipse Turcarum Cæsar tentoria fixa habuit, eamque finiuit ad Cætium montem, quem uulgo Caluariæ nominant. His diebus semel & uigesies cecinit classicum, sexties oppugnationem instituit, quam tamen rectius incursionem murorum uocarem, repulsus tamen semper, Dec sit gratia. Murum trib. locis, non tamen magna distantia, actis sub terra cuniculis, & instratis ex Salepetræ puluerib. difiecit & prostrauit. Maxima muri ruina fuit quadraginta plus minus cubitorum, ut ego oculis dimetitus sum. Nihil uero tantum noxæ attulit urbi, quod muri & ciuitatis fossæ propugnaculis excurrentib. non fuerunt præmunitæ, & deinde suburbium meo iudicio ædificijs ex lapide & cemento ductis ipsum æquans, uel etiam superans oppidum. Hoc, quis à nostratib. in uniuersum fuerat ignib. absumptum, lapidei tamen parietes superstites hostib. profuerunt. Post quos illatebrarunt sese non modo Turcæ, uerum etiam Itali & Germani, qui in exercitu Turcico stipendia fecerunt. Atque sic tuti fuerunt ab ictu bombardarum nostrarum. Sed ipsi in statione huiusmodi securi, perforatis pro modulo bombardæ parietib. nostros milites in muro uigilantes, quasi ad scopum sagittarent, globis impetiuerunt adeo certo ictu, ut tandem nemo sine mortis uulnere sese uidendum præbuerit, ut etiam si quis digitum ultra murorum pinnacula porrexerat, mancam manum retulerat, tres, quattuor unum petentes, ut, si unus fefellisset, alter contingeret. Sunt etiam Turcici alioquin boni sagittarij in uario armaturæ genere, Parthi, Scythæ, Thraces, Illirij, Instructi sunt bombardis sex uel octo palmarum longis, & ex singulari leuitate tractabi-

tractabilib. quemadmodum ipse ego ponderando comperi.

Dum ita, ut ostensum est, Turca Vuiennam obsidione teneret, interim per uniuersam Austriam ad. xxx. miliaria & trib. tantum leugis a Lintzio usq; ad Enum fluuium, omnia per Turcicas cohortes flammis colluxerunt, ferro uastata sanguine inundant, ut peius & crudelius atq; Scythicum pectus possit in miserationem conuertere. Vidisses ibi Stromere miserabilem carnificinae barbaricae faciē cadib., incendijs, & rapinis deformatā. Hanc execrandā adflictiss. populi internitionem, saepius atq; placuit, oportuit me equo superare. Ibi licuisset tibi cernere matrem & liberos, pedisse quam & seruum simul iacentes, & singulos singulari mortis genere peremptos. Matrem apud filium infantem dissectum, uel utrisq; pedib. medium disruptum. Mater saepe apud puellum in cunis adhuc iacentem, praecordis dolore praemortua, infantem reliquit fame & frigorib. uel clamore & eiulatu periturum. Putabam me uideas circumqua; cultas racemis & uuis insignes & refertas reperiturum, quae plenae erant cunis, in quib. interfecti pueri, partim sine capite, partim transfossi, partim integri, sed lachrymabiliter necati, in domino obdormierant. Breuiter tanta adflictio & arumna peruasit Austriam, ut nobis integris supplici prece ad Deum omnipotentem iugiter clamandum, ne nos uel huiusmodi uel peiora mala superueniant, quis adpareat securim ad radicem arboris positam. Ausim hoc iudicare exercitam illic crudelitatem uincere omnes Phalarides & Dyonisios, & quoscunq; praeterea nutriuit Sicilia tyrannos, nec dirus Hannibal tantum malorum adflictae contulit Italiae. Rectè hìc exclamo.

— en quò discordia ciues

Perduxit miseros.

Aut —

Viui peruenimus, aduena nostri

Quod nunq̄ ueriti sumus, ut possessor agelli

A iij

Diceret

Diceret hæc mea sunt, ueteres migrate coloni.

Fortiss. equites & milites Germani, qui Vuiennam occupatam tenuere, mœnia contra uim Turcicam pertinacissime tutati sunt, uerum extra urbem in diurnis & nocturnis excursionib. sane infeliciter pugnauerunt, & non sine strage retrò compulsi, parua quidem & audax manus, sed quid potuit aduersus tam immensum exercitum? idoneo loco aduersus omnem impetum iugiter excubantem? Acceperunt itaq; detrimenta, si licet dicere, non uulgaria. Turca uoluit declarare Germanis quis sit in re militari. Vbi nunc sunt Thraiones isti & Pyrgopolinices, qui gloriati sunt se. xl. milib. armatorum Constantinopolim usq; uictores preliaturos? Post montes etiam uiuunt homines militiam experti, & Turca se non, ut fertur, ad obsidionem tenendam instruxerat, uerum ad acialem conflictum, at tamen cernere licet qua audacia & instituto ad Vuiennam usus sit. nam compertam habuit in hac fortiss. in rebus bellicis nationem, optimos Duces, & uere Triarios milites, & ultra duas capitales bombardas non secum aduexerat. Fuit autem ad ineundum prelium armatus trecentis bombardis bijugo uectis, & decem milib. bombardarum manualium, quib. milites suos, lenuischeros eorum lingua uocatos, prefecerat. Ego gentilitios Turcas & à puero in re militari eductos esse arbitror, uel aliam fœdis. gentis colluuiem ad bella ferotiores. & in interregno Turcico, isti Casarem dicunt & appellant. Caterum iuro tibi per fidem meam amiciss. Domine, si triduo solo anteuertisset Vuiennam Turca, hoc est, si accelerans Budam reliquisset intactam, tum cepisset Metropolim Austriae commeatu refertiss. & Panoplia bombardarum, qualis uix est in tota Europa, instructissimam, quis tum fuisset rerum euentus? Ratispanæ & Augustæ contulissimus aduersus Turcam, nobis certe adfluctis Silesijs & Morauis periculum Scythici ferri, quasi ex seta equina dependens, imminuit, & fuissimus uobis, ut calamitosiss.

simi Austriaci, commiserationi magna, si modo gutta Christiani sanguinis in uobis uigisset.

Quum olim in terris imperij peregrinarer, nemo uoluit mihi, hæc mala, ex certis relationib. prædicenti, fidē habere, sed unusquisq; proprium ostentauit se habere de Turcica expeditione nuntium, alius aliud. Quod, ut ut eueniret, Deī sit iudiciū. Fidem negleximus, & in incredulitatem stupendam peruenimus. puto incredulitatem esse, quòd nemo hominum certissima narrantib. uoluit credere, iam crederemus libenter, quæ olim futura fuissent. Sed serò sapiunt Phryges in Germania, & non nisi plagis acceptis, Est hæc unanimitas Christiani pectoris & uita, quam in nobis uult esse Apostolus? Descendas in te, Stromere, & contemplare, si nos per uestram negligentiam fortunis, uxore, liberis, patria exuti fuissimus quæ uobis aduentura fuisset conditio. an non hominis esset, nisi Deus aliam mentem nobis daret, q̄ ut uestris capitib. non multū meliora precaremur? fortassis & pro humanis affectib. in perniciem uestrā armaremur, nihil confidentes uestro patrocinio. ad quod fortè confugiendum erat, quum illud potuissetis nobis uestris fratrib. periclitantib. minore periculo, & etiam foelicius ad nostras domos, mœnia & terminos impartiri, atq; prætermiseritis. O Deus magne, hæc tempora tua sunt uirga ferrea, oculis apertis & aurib. patulis nec uidere nec audire. Nulla caussa sub hoc cœlo accidere deberet, quæ nos hic segregaret, quo minus essemus unum corpus in Domino, nam prædictum est nobis per illum. Omne rēgnū in se diuisum desolabitur. Item si nihil calamitatis uidissem, quā aduersus Danubium fugam miserrimū populi, uidissem uel Iliada malorum. Quinquaginta, sexaginta plus minus uiri & femina, trepidè incedentes, trahebant post se agmen liberorum suorum, licuit cernere quēpiam humeris, ut alter Aeneas, uel effæctum patrem uel binos & ternos liberos in ligneo corbe baiulantem, unum præterea filium
sub ala

Sub ala ut rusticus agnum, alium dextra ducentem, sequebaturq; patrem non passib. æquis, ponè sæpius comitabatur coniunx & unus masculorum adultioris ætatis. Crebro etiam minimus fratrum gestabat maiorem natu, sed infirmiore & contrà, nec habebant quod intererent uel æderent minus q̄ nihil Stromere, & quocunq; ex tam lachrymabili fuga diuerterat, fuit Pantocheus domi, quod dicimus. Meditare qualis hæc fuerit peregrinatio uel Dedicatio. Si quis hoc loco piorum instruxisset popinam suilla assa refertam, id quod solet fieri in Solennib. Dedicatum, accepisset hospites & famelicos & non uocatos, qualis Menelaus apud Homerum aduenerat Agamemnoni. Deinde supra narrata est obsidio terrestris. Danubium uero occuparunt, sed non obsederunt Turcici Nauicularij, quos Naseros, & nauigia eorum Nasatas uocant, ultro citroq; diuagantes, & utroq; littore execrabilia damna inferentes ferè Kremnissum usq;. Pontem Vuiennalem ignib. cremarunt, & quicquid ad pontem fuit. Quod autem non potuerunt, oportuit nostros exurere, potissimum ingentes trabium aceruos, ponti præparatos, ne instrumenta ad munitiones haberent, miserrima necessitatis conditione. Facta mentione Nasserniorum, historiam tibi referam. Vnus ex illis ex numero Scribarum, sed tamen Dux & capitaneus & sanè homo idoneus, captus à nostratib. cum quodam alio, sed gregario milite, candido linteo caput amictus. Is Lintzium deductus est, & primum amice de rebus Turcicis interrogatus, adiectis tamen quæstionum minis nisi ueritatem diceret, respondit lingua croatica, & præter eam etiam Græcam, & Hebræam & Chaldaicam calluerat, se esse uirum ueridicum, & non leuem, nihil nostros possidere, uel fingere posse, quod eum de uero auerteret. Porro quæ situs, num nam Turcarum Cæsar comperisset serenissimum Ferdinandum exercitum collegisse. Ad hæc iste breuiter conuersus ad interpretem. Quid? habuistis etiam exercitum? Sanè ἰσχυρισμῶς

Cui quum

Cui quum responsum esset. Caesar tuus sensisset, scilicet, si octiduum
uel decendiū oppertus fuisset. Post hæc constitit Turca cogitabun
dus & producta ex sinu manu, in suis computauit articulis atq; di
xit. Iam sextum mensem equis infedimus & hostem non uidimus.
Responsum certè fuit non ignauum, quod etiam possit inter memo
rabilia dicta per historicum referri. inita enim ratione, quando
Turca Bizantio profectus, nimirum sex menses præterierant. intel
ligis credo nostram socordiam. Audi aliam historiam non minus
memoratu dignam, magnæ audaciæ testem. Quidam miles Tur
cicus clara luce scalas muro adiecit, conscendit, & per mœnia des
spexit, Vuiennam contemplans, & cuneos militares in ordinem re
dactos, pedemq; retulit sine omni periculo, nec quisq; ei nocumento
esse potuit. Item coruscante Sole Turca murum attentarunt, ual
lum fodiendo, & ferramentis carpendo prolixius atq; est ampla
domus tua & spaciosiss. area, periculum facientes an possint eun
dem subuertere. Quòd autem hoc impune facere potuerunt, in cau
sa fuit, ut supra relatum est, quòd muri propugnaculis non sunt
firmati, & quòd præ ictu bombardarum nemo ausus fuerit, quin
interierit, muro insistere. Porrò summum urbis periculum & ne
cessitatem sustinuit porta Stubæ, Carinthiorum, & castri. Intra
mœnia uerò nostri muros magnis tignis sustentarunt, eo consilio, ut
si etiam Turca eos demoliretur, ruinam in hostes facerent, summo
nostratum bono, anteq̃ enim potuerint molem ruinarum superare
interim spacia & foramina fuerunt per milites truncis ad modum
histricis collocatis, præuallata, ut incursum oportunus Turcas sem
per fefellerit. Et postq̃ Deus omnipotens populo suo in Vuienna
commeatu, & omnib. bellicis apparatib. benè prospexerat, pulue
rib. bombardis, uino, pane, carnib. & omnib. necessarijs, ita etiam
ut, Deo sit gratia, obsidionem usq; dum ultra duos menses tolerare
potuissent, & fortitudinem suam Turcis ostendere & nihil loco

cedere. Immaniſſ. hoſtis XVI Octobris ſub noctem quum XV ad
uentaret, uafa colligens, caſtra prius incenſa mouens diſceſſit, ipſe
Caſar cum ſuis celerrimè, reliquus exercitus lento ſanè gradu, ur-
bem, cui à ponte nomen eſt, ad Leitham fluuium ſitam, atq; eius
ſuburbium illuſum præterierunt. Altenburgum uero magno præ-
ſidio occuparunt, Preſsburgum neglexerunt, atq; ita fugam cor-
ripuere, ut ego audiui, Budam uſq; & porro Bellogradum, quod
hodie bellicoſum album caſtrum uocamus, & ut fama refert, ab-
inde in barbariem ſuam abituri. Reliquit tamen in Hungaria co-
mitem, Ioannem Ludouicum, Andreae Gritti principis Venetorum
filium, ut credo, ſpurium, eius inq; cuius opera Veneti ad perpe-
tuam Chriſtiani nominis notam cum Bazaiſe, qui ante Selinum
huius Solymanni præceſſorem regnauit, fœdiſſimum fœdus per-
cuſſere. Anno ſalutis M. CCCC. nonageſimo, ut opinor, tertio
hoc tamen inſtituto ut plureis cernas Turcas atq; Hungaros, &
imperium quoq; eſt Turcarum, Comes regis titulum tenet, Vene-
tus uero regnare dicitur. Dominus deus pater cœli & terræ ſit ad-
iutor noſter, ad primum uer, & pro Apophtegmate inuictiſſ. Ca-
roli Quinti, VLTERRIVS. A Vratiſlauia ad confinia Turci-
ca reſtant nobis duo & triginta miliaria, ante quadriennium diſta-
bant centum & quinquaginta, & ad minus centum & uiginti.
Ineas tu o Stromere, rationem quas habeamus in tam crudelem ad-
uerſarium exceptiones dilatorias, ego peremptorias ne nobis obij-
ciat metuo. Dominus Deus ſit protector noſter Amen, qui provide-
at, ut quemadmodum uos nobis ſitis auxilio, ut itidem uicinia ueſtra
ulterior ueſtris periculis adſit. Sed non uolo ut hæc mea uox ſit in
caput ueſtrum imprecatio, uerum inſinuatio tantum eſt, quæ uobis
redigat in animum quid nobis ueſtris fratrib. chriſtianiſ. debeatis.
Secundum illud quod ſcriptum eſt. Qua meſſura meſi fueritis
remetietur uobis. Poſtq̄ igitur Turca, ſicuti relatam eſt, pedem re-
tulit non

B

tulit, nonnullos Duces (*Vnascha* ista lingua uocatos) iter iussit
arripere Bofsinam uersus, qui sub uiam Stiriam circunquaq; igni
& ferro depopulati sunt. In summa, ad aures meas certò peruenit,
Turcam hac expeditione ad octoginta milia hominum & interfe-
cisse & abegisse, & in his pulcherrimam Germaniæ iuuentutem,
robur scilicet futura nostræ patriæ. & credibile est. Hoc nempè loco
deprehendit populum corpore & fortunis. Et quid dicam? Plurib.
fuit oneri quòd quatuor, quinq; uel decem aurei in expeditionem
contra Turcas parandam fuerunt exacti, & ò calamitatem & in-
ternitionem meam exclamauerunt, atq; nunc Turcæ cum uniuersis
bonis duob. trib. milib. aureorum, immò cum uxore, liberis & uni-
uersa familia, uenerunt in abominandam prædam, neq; fuga neq;
permansione potuerunt uitæ suæ consulere, ut plurimum sine disci-
mine interfecti sunt. Afflictiss. populus nemora petijt tanq; ad asy-
lum, & tutelarem, quod dicitur, aram confugientes. Verum ex ad-
uerso Turcæ, Hungari, Poloni, atq; interim etiam, (si Dijs pla-
cet) Turcæ germani milites, transfugæ & perfidi in Christum
& proximum suum, hoc usi sunt stratagemate, Aliquot cohortes
tacitas, quasi animam continerent, pedetentim euntes ad unum ne-
moris latus ad insidias collocarunt, ex altero horrendis & barbaris
clamorib. pro more gentis, equitatu et peditib. impetū fecerūt. atq;
ita miserrima plebs ob terribilem sonum ad loca tranquilliora sese,
ueluti ad securitatem conuertere uolens, incidit primum in insidias
& hostes, tanq; oues in rictum famelicorum luporum, atq; omnes si-
cuti in mortis barathrum, quorum catalogum non sine lachrymis in
sola Vuienensi pellegi. Cariss. Domine possem tibi uel centū de-
flendas historias perscribere, quæ uel silicem mollescerent, uerum præ
anxijs animi adfectib. non queo, & miror dolorem uel hæc ad-
mittere. O summe Deus, utinam isti, ut puto Catilinæ, uel Ces-
thegi, qui, quum non illis pro affectu suo mos geritur &

admittitur quod uolunt, præoptant Turcam Dominum, utinam
inquit uidissent atque ego, datas ærummas, mala, & afflictiones, nisi
contemnerent sanguinem proprium, honorem & salutem, aliter sen-
suri essent. In Hungaria Dominus meus serenissimus usque dum
possidet Septem Castra, Cassouiam, Zepum, Bartjam, Leutschum,
Trencinum, Preßburgum, atque alia quedam castra, & ciuitates. In
uotis habenda esset Bellogradi quoque detentio, et cederet in salutem
Germaniæ, & uniuersi Ro. imperij. Ecce cum hæc scriberem,
uenit ad me nuncius ciuis Budæ, & narrauit Turcam in campis
Maxois (ubi beatae memorie Diuus Ludouicus rex Hungariæ
atque Bohemiæ Anno Do. M. D. XXVI. XXIX Augusti mi-
rabili fato occubuit) equilia & stabularia pro camelis & equis
exedificare. Quod si uerum est, Deus sit nobis ad Aprilem propi-
tius, præsertim nobis Silesijs, & iram suam a nobis in eos, qui
Turcam Dominum expetunt, conuertat.

Transmitto d. t. literas Ibraimi Vuaschæ Turcici, nostro ex-
ercitui Vviennæ obseßo in leui Italica papyro italicè scriptas, quas
ego ipse in manibus meis habui & legi, quarum fuit, ut in fine uide-
bis, sententia. Mitto itidem tibi numismata cum hac inscriptione,
TVRCA VVIENNAM OBSEÐIT ANNO M. D.
XXIX. duo argentea, quorum prius tibi, alterum Andrea Cas-
mitziano, muneri dono. Tertiū uero florini Hungarici nomine meo.

Esse mei dederis monumentum & pignus amoris Consuli, Sena-
tūque Lipsensi, ut ex eo me beneuolentem agnoscant, & huius ex-
crabilis mali Austriaci signum habeant. Offeres autem cum ea,
qua decet, reuerentia, & munus nostrum uerbis quantum poteris
(poteris autem optimis) ornabis, cum hac præfatione, Munus esse
paruum, sed amicum, & ex animo profectum. cum hac etiam ap-
pendice, ne mei, eorum Reip. fauentis, obliuiscantur. Vereor enim ne
uobis ad æstatem ad minimum uxor & liberi hospites futuri sint,
eos ut

eos ut profugos benignè recipiant, orabis. His enim primum consue-
lam, deinde de me uidero, atq; quantum in me erit, pro patria for-
tunā experiar. Te etiam & Camitzianum amicos chariss. aureis
nummis honorassem libenter, sed, conscientiam testor, me habere non
potuisse.

Post tot & tanta discrimina rerum audi atrocius & terribilius
Relicta à barbaro Tyranno Vuienna, princeps huius mundi Dia-
bolus multa milia Turcarum urbi ab hostib. inexpugnata inseruit
imò ipsis Turcis deteriores homines, milites nempe imperij. Hi ob-
sidione soluta in nullo fuerunt officio, nec oppido uoluerūt excedere,
nisi Dominus meus gratiosissimus illis quatuor stipendia, nomine
prætenfarum oppugnationum, persolueret, & deinde pro ualedicti-
one aliquid quoq; uiritim diuideret. Quòd si hoc nollet, comminati
sunt se urbem in prædam sumpturos, populaturosq; igni & ferro
omnia, nec fuit istis alia contio, quàm Vel pecuniam, uel sanguis-
nem. Peius & periculosius habuit Serenissimus Ferdinandus Rex
in hac seditione militari, & quilibet uir bonus, atq; cum Turca.
Et, quis postulata stipendia nullo iure debebantur militib. ex eo
quòd imperium illis diues stipendium dinumerauerat, & extrema
oppugnationum nunq̄ sustinuerant, ex quib. iure militari pro nume-
ro periculi illis stipendia geminarentur, tamen uolens piissimus Rex
ab igni & ferro sanguinentorum uindicare & seruare

Reliquias Danaum atq; immitis Achillē, coactus fuit istis im-
puris duplicare stipendium, & omnem comæatum & conuictum
donare, nec certum fuit nobis an sic liberata esset periculo ciuitas.
Clām enim identidem cum cæteris aliarum nationum militib. con-
spirauerant, etiamsi accepissent quod uellent, nihilo magis esse abis-
turos, nisi & socijs stipendia essent multiplicata. Videtur Lucas
nus ex oraculo cecinisse.

Nulla fides, pietasq; uiris, qui castra sequuntur.

Venalesque manus ibi fas, ubi maxima merces
Aere merent paruo.

Tandem tamen benignitate Dei, Seditio hæc sedata est. & mis-
sione accepta, Vniennam reliquerunt. Inuenti sunt milites, quibus pau-
cissimi, qui etiam cum vitæ periculo exacta stipendia recusarunt.
Ita inter multos malos est tamen reperire quosdam bonos. Habet
enim Dominus suum semper gregem in media damnatione. In
ipso abitionis meæ articulo Duces nostri & Centuriones cum reli-
quis militum ordinibus contionem habuerunt, de comæatu suscipien-
do comunicaturi, Spero Christianos animos concedet illis Domi-
nus Deus.

Hic uides & comperis Domine amabilis. nostram Christia-
nam uitam & Germanorum disciplinam militarem. O tempora,
ò mores. Proh Deum atque hominum fidem. O rem omnibus principi-
patibus seuera animaduersione ulciscendam. Postquam præsidio Imperij
ad tot literas, quærelas & supplicationes fœdis. canes Tyrannos
Turcas non superauimus, sed abegimus tantum & de nostris se-
cipibus tanquam rugientes leones arcuimus, copiosiss. ad hoc Christiano
fuso sanguine, cum iam animum recipere deberemus, en plus nobis
incumbit ab ipsis Christianis & nostris commilitonibus. periculi &
excisionis atque ab ipso Turca. & hoc non ob magnas fortunas,
uerum occasione aliquot aureorum constituerunt ærumnæ perlate
aliam magis sanguinariam accumulare, quibus non huiusmodi præ-
liatores penè tanto terrori esse deberent, atque furentes Turca? O
magistratus ex cælo dati, hic est locus gladio uestro, hic corrigat
corruptos militum mores uindicta uestra, ne in posterum tale quid
designent, Tui facio arbitrij an non res sit omnium lachrymis de-
flenda, & miraculo propius est, si non aliqua huius culpæ pars he-
reat in quibusdam capitaneis. Rem recta ratione dijudica, an non
hæc fuerit crudelitas plusquam Thracica & impietas plusquam Turcica,
postquam

postq̄ sanguinem & facultates meas à Turca tutatus essem, non tantum intuitu bonorum meorum, uerumetiam propter meos, & proximum meum Christianum fratrem, & iam putarem omnia esse in uado, ageremq̄: Deo liberatori gratias, quia extremum malum à nobis propulsauerit, & tum primum mea spolio esse deberent militib. Socijs ita, ut quicquid non raperent, comburerent, residuum flammis pessundarent, & tecta solo æquarent, nihil considerantes quod ego communicauerim possessiones, uxorem, liberos, uniuersam deniq̄ familiam, necessitate cogente etiam, usq̄ ad dedecora & abusum, adde quod iugulum meum unà cum illis hosti obiecerim, in omnib. periculis socius adstiterim, postremo tamen huiusmodi commilitonib. deberem esse prædationi cum omnib. reliquijs. O infandam miseriam, quid est abominatio si hoc non sit? Atq̄: nonne melius esset, ut potius hosti me traderem q̄ hoc excidium à nostratib. expectarem? Tedet animam meã uitæ meæ, & indignatio facit, ut cessem hoc de negotio prolixius scribere. Bellum si gerendum erit aduersus Turcam, & non alia militaris disciplina fuerit instituta, certis pactis & propositis Militi conditionib., obsignatis itidem concordie & fidei literis, ut solet fieri in contractib., tum certè etiam uictoria nostra magis erit nobis cruenta, atq̄: si uicti fuissimus, atq̄: plus erit in fine nobis periculi ex amicis ueterib. q̄ fuerat principio de hostib. Quid multa dicam? Isti milites, de pactis militarib. & conscripta sub signis militia ne uerbum quidem, uel scire uel audire uoluerunt. Tanta fuit insania.

Vis quoq̄: certò ex me scire quò abierit Turca, an Hungaria excesserit. Iam Vuienna profectus sum altera Nouembris, & non habuimus aliud nuncium q̄ ut suprà narratum est. Quicquid uerò post noui accipiam, eius sum, ut alius, in expectatione, periculoq̄: uanà ne an falsa sint, quib. certè non facile fidem adhibeo, nisi ex aula regia ad me peruenerint. Quicquid erit, faciam te certiozem.

Postremo, & ut Epistolæ modum faciam, nisi Deus omnipotens nobis fuerit præsidio, & deinde uniuersi per totum Christianum orbem, per omnes Germanias, uno animo, consilio, corpore, pari alacritate bellum Turcicum susceperimus, si ipsa Salus uelit seruare hanc nationem, non posset. Quod si discordia nos inuaserit, & nos à uobis, alios ab alijs seiunxerit futurum est, ut hodie simus futuri Hungari, cras Turcici, post annum Diaboli. In summo tandem de nobis actum erit. In Domino uale, & Germanis meliorem mentem præcare. Camütianum Iurisconsultum diligenter admonebis, ut cum Bibliopola super libris mihi coemptis calculū ponat, & præuideat, ut prætium mihi assignetur iustum. Iterum uale. Ex Vratislauia XXII Nouembris Anno M. D. XXIX.



IBRAIMVS WA

SCHA DEI GRATIA PRIMVS SYRIAE

Secretarius. & summus Consiliarius, Sereniss. & inuictiss.

Cesaris Sultani Solymanni, Dux & gubernator

omnium regnorum & exercitus

um suorum.

Generosi potentiss. & primarij Capitanei. Acceptis à tebellas
Grio uestro literis, rem omnem intelleximus. Et scitote nos non
aduenisse, ut hanc uestram urbem occuparemus, uerum quaesiuimus
Archiducem Ferdinandum, quem non inuenimus, atq; hinc tot dies
eundem expectando desedimus, qui tamen non comparuit. Cetero-
rum heri tres ex captiuis de uestro numero libero dimisimus. Quare
uelitis cum nostratib. in uestra captiuitate detentis similiter facere,
quemadmodum porrò uestro nuncio, ut orètenus hoc uobis indica-
ret, demandauius, atq; hinc potestis unum ex uobis huc ad
nos, ut captiuos uestros inuestiget, mittere, & hoc
casu nihil sollicitudinis, uel timoris de nostra
fide habere. Nam quòd illis, qui Budæ fue-
runt, fides non fuit seruata, non nostra
sed istorum propria culpa fuit.

Data ad Vuiennam

medio Octobris.

EXHORTATIO

ANDREAE CAMITZIANI AD IUVVENTVTEM

edita, Anno M. D. XXI. quum Lipsiæ

bellum punicum Siliij Italici

publicè prælegeret.

Audimus quæ fama uelox crudelia narret

Cum gladijs ignes, prælia dira, neces.

Vt Mars sanguineus iam Gallica rura cruentet

Iam Mediolanæ prodita regna Ducis

Et quoq; finitimæ gentes Bellona flagellat

Quæ mala iudicio sunt leuiora meo.

Sed Mahometigenæ nunc irrupere Phalanges

Quæ loca septenis alluit Ister aquis

Quas isthic cædes, quas Christe dedere ruinas

Vt possit dici, Pannonis ora fuit.

Comminuunt urbes, ut non uestigia restent

Quod spirat, uiuit, semina cuncta, necant.

Dicuntur patrib. cœnam reparare Thyestis

Et posset radios sol retinere suos

Tot mala non Latio ferus intulit Annibal, & quæ

Sunt in grandiloqua uix reor Iliade.

Circumferre parant uictricia tela per Orbem

Atque illi Scythiæ iura, ritusq; dare.

Tempus adest fortis Germania, pectoris æstum

Profer, & audaci corripe tela manu,

Eos enses, Scythicosque repelle furores

Sed tibi iam Dominus barbarus hostis erit

A bellis laudata diu Germana iuuentus

Nunc ostende tuum, fortia facta, decus

Iam locus est nusq̄ quærentib. ocia Musis
Cum Cythara ualeat blandus Apollo sua.
Lancea sit calamus, gladij sint plectra trementes
Bombardæ tibi sint, cantica grata, sonus.
Quòd si sint iuuenes, studium qui pacis amarunt
Nec satis officio Militis esse queunt,
Hi relegant magnos heroo carmine Vates
Et discant ueterum grandia facta patrum.
Nam sic Lucillum moturum prælia Ponto
Armis tractandis consuluisse ferunt.
Hinc ego militiæ nunc prospecturus obortæ
Sedulus exponam punica bella tibi,
Lauriger ingenti quæ scripsit Silius ore
Martia cui Pallas bella canenda dedit,
Tullius eloquium, Maro plectra sonora dedere
Vim de Lucano, Papinioq̄ tenet,
Arteis bellorum, pugnas stratagemata narrat
Et quib. arma locis sint capienda tibi.
Ponitur ante oculos Fabius, duo fulmina belli
Scipiadae, Varro, Flaminiusque Duces,
Et labor & uirtus, fremitus, gemitusq̄ uirorum
Confliktus, facies, horribilesque tubæ,
Euentus uarios Martis spectabis & astus
Quas dedit ærumnas Annibal Italiae.
Præterea mores hominum, mirandaq̄ fata
Explicat, & quicquid sancta Poesis habet.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

